



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Eligius Episcopus. 1. Decemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



## D E C E M B E R.

## S. ELIGIUS Episcopus.

1. Decemb.

*Negotium vestrum agatis, & opere-  
mini manibus vestris, sicut praece-  
pimus vobis. Paul. ad Theff. cap. 4.*

**Q**uam altum Eligius virtute sua evolatu-  
rus in caelum esset, aquila monstravit  
parturienti matri per somnum visa. Puer au-  
riferi instituendus traditus artem eam non  
multo tempore ita perdidicit, ut nemo alius  
hac tam gratus Regi Clotario esset; tunc pra-  
cipue ubi fidem suam ita probavit ut ex auro,  
ex quo sellam unam tantum facere iussus erat,  
geminas concinnaret. Interea tertiam sedem  
caelo aggressus parare, animum suum, hic de-  
mum artificem se ostendit: quando lacrimis  
hunc perpolivit, asperis poenitentiae studiis  
scalpsit, omnibusque virtutibus ita exornavit,  
ut ad spectaculum caelites traheret. Etenim ex  
his unum aliquem, cum de more noctem an-  
te hierothecam sacrarum reliquiarum in som-  
nis

nis inter preces traduceret, ipse vidit ratasque preces suas apud Deum esse intellexit, mox caput rore tam copioso perfusus & tam suavi est, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Jam quidquid arte suâ corradebat, Eligius id omne non jam Eligii sed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec alio Regum benevolentia utebatur à quibus, cum jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dictus, cum eo in munere Apostolus Flandriæ dici meruisset, cœnobìa plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum huic mandavit. *Ex Lippel.*

## MEDITATIO.

*Vita in laboribus traducenda.*

**H**omo natus est ad laborem: Deus præcepit Adamo, ut terram coleret, & operaretur in Paradiso. In suâ quisque vitæ conditione laborare debet. Assuesce labori exemplo Christi, qui (ut ait Propheta) in laboribus fuit à juventute sua. Si ut par est, laboraveris, gratus Deo, tibi, aliisque utilis eris. Qui laborat, unum duntaxat otii dæmonem timet; qui verò otiosus est, omnes timere debet, quoniam otium omnium vitiorum parens, dæmonum omnium tentationibus hominem exponit,

Z 3

1. Exem-

2. Exemplo S. Eligii, principio tum diei, tum actio-  
nis cujuslibet memineris, laborem tuum offerre Deo,  
tuamque oblationem identidem renovare. Si quid-  
piam difficile, ac molestum occurrat, vince difficulta-  
tem, ac molestiam, ut honores ac imiteris Christum:  
finito labore, vide, in quo peccaveris, & veniam pe-  
te. Hanc si laborandi rationem tenueris, sanctitati &  
æternitati laborabis.

3. Noli multa complecti, nimius & nullus labor  
perindè nocent sanctitati; animus siquidem tempo-  
ralium curis implicatus, multisque oppressus labori-  
bus, nec tempus habet Deo, vacandi, nec eo, quo  
deberet, sensu pietatis cœlestia contemplatur. Alius  
hæreat menti tuæ, salutem, *unum esse necessarium*. Quo  
studio quæris Dominum! *Quæris aurum & forte cum  
volueris, non habebis; Deum, cum volueris, habebis.* Aug

## S. THEODVLVS Confess.

2. Decemb.

*Mihi mundus crucifixus est, &  
ego mundo.* Paul. ad Galat. cap. 6.

**A** Scenderat in id fastigium honorum  
Theodulus, ut Aula illum Theodosia-  
na Præfectum salutaret. Verum his etiam al-  
tiora Virtus ambiit. Etenim quòd aulæ tech-  
nas & insidias probè perspectas haberet, lu-  
dos facere hanc vicissim voluit. Quare affem  
omnem